

Notitia brevis Societatis Sancti Francisci Salesii et nonnulla decreta ad eamdem spectantia

[è premesso alle opere anonime]

Iam inde ab anno millesimo octingentesimo primo et quadragesimo Ioannes Bosco Sacerdos una cum aliis ecclesiasticis viris operam dabat, ut simul in unum locum Augustae Taurinorum adolescentulos derelictos et pauperes colligeret, eos ludis exhilararet, eodemque tempore panem divini verbi eis distribueret.

Anno vero 1844 aedicula penes locum, quod Refugium nuncupatur, divino cultui dicata fuit.

Anno 1846 Archiepiscopus Taurinensis concessas facultates ampliandas decrevit ut omnes, qui huic instituto interessent, Eucharistiae sacramentum admitti, praeceptum Paschatis ibidem adimplere, et triduanas vel novendiales preces indici possent.

Cum autem numerus adolescentulorum magis magisque in dies cresceret, annuente Ordinario, duo alia asceteria dedicata sunt; unum anno 1848, alterum 1849. {1 [571]}

Plures peculiare facultates iam antea fuerant concessae, quae quidem omnes confirmatae et adauctae sunt decreto diei 31 martii anni 1852. Duo praesertim Archiepiscopus tunc in animo habuit: omnes facultates ad asceteria administranda concedere, atque Superiorem generalem horum asceteriorum Ioannem Bosco instituere.

Hoc autem decretum italicis verbis sic exprimitur: {2 [272]}

ALESSANDRO OTTAVIANO RICCARDI
DEI CONTI DI NETRO
PER GRAZIA DI DIO E DELLA SANTA SEDE APOSTOLICA.
ARCIVESCOVO DI TORINO
Commendatore dell'Ordine de' Ss. Maurizio e Lazzaro,
Limosiniere di S. R. M.,
Prelato domestico di S. S. ed Assistente al Soglio Pontificio.

PATENTE a Direttore Capo degli Oratorii di San Francesco di Sales, del Santo Angelo Custode e di San Luigi in Torino, in favore del Signor D. Giovanni Bosco.

LUIGI DE' MARCHESI FRANZONI
CAV. DEL SUPREMO ORDINE DELLA SS. ANNUNZIATA
per grazia di Dio e della S. Sede Apostolica
ARCIVESCOVO DI TORINO

Al Molto Rev. Sig. D. GIOVANNI BOSCO da Castelnuovo.
Sacerdote della Nostra Diocesi SALUTE.

Congratulandoci con Voi, Degno Sacerdote di Dio, che abbiate con industrie carità saputa stabilire la non mai abbastanza commendevole Congregazione dei poveri giovani nel pubblico Oratorio di S. Francesco di {3 [573]} Sales in Valdocco, giudichiamo cosa giusta il testificarvi mercè le presenti il Nostro perfetto gradimento con deputarvi effettivamente Direttore Capo spirituale dell'Oratorio di S. Francesco di Sales, a cui vogliamo siano uniti e dipendenti quelli di S. Luigi Gonzaga e del S. Angelo Custode, affinché l'opera intrapresa con sì felici auspizi progredisca e si amplifichi nel vincolo della carità a vera gloria di Dio e a grande edificazione del prossimo, conferendovi tutte le facultà, che sono necessarie ed opportune al santo scopo.

Mandiamo intanto ad inserirsi negli alti della Nostra Curia Arcivescovile queste Patenti per originale, con facultà al Nostro Cancelliere di rilasciarne copia.

Dato in Torino addì trentuno marzo l'anno mille ottocento cinquantadue.

Firmato: FILIPPO RAVINA V. Gen. e manualmente

Sott. BALLADORE Cancelliere.

Per copia conforme all'originale.

In fede Torino li 12 maggio 1868.

Teologo GAUDI *Procancelliere.* {4 [574]}

Interim complures Episcopi easdem regulas exceperunt, atque nisi sunt et nituntur ut in suis quoque Dioecesibus huius generis asceteria instituuntur.

Necesse visum est ut nonnulli adolescentuli grandiori etate, derelicti et pauperiores, maxima diligentia a mala via amoverentur. Quod quidem factum est in hospitio S. Francisci Salesii adaptato anno 1846. Numerus hinc receptorum adeo crevit, ut inter opifices et studio deditos numerum octingentorum pertingat.

Archiepiscopus Taurinensis, cui asceteriorum fructus spiritus et disciplinae unitas summopere cordi erant. Ioanni Bosco Pontificem Maximum adeundi consilium dedit, quo lumina et regulae haberentur de ecclesiastica Congregatione ad hunc finem instituenda. Itaque anno 1858 idem Ioannes Bosco Sacerdos ab Ordinario suo per litteras commendatus Romam petiit, atque ab admirabili Ecclesiae adsertore Pio IX Pontifice Maximo benigne exceptus est, opusque plurimis verbis commendavit. Paterna deinceps bonitate innuit huiusmodi Societatem instituendam esse tamquam Congregationem votorum simplicium adeo ut socii coram Ecclesia vinculo religionis de facto essent devineti, dum coram seculari societate integra iurium civilium libertate fruuntur.

Hisce positis et admissis, constitutiones Salesianae coordinatae et conscriptae sunt, atque per sex annos ad praxim traductae. Tandem post experimentum viginti duorum annorum de opere, de disciplina et de regulis {5 [575]} ad Salesianam Societatem spectantibus, habitis commendatoriis litteris ab Episcopis ecclesiasticae Provinciae Taurinensis, labente anno 1863, ad sacram Congregationem Episcoporum et Regularium postulatio allata est, ut haec Societas sanctae Romanae Ecclesiae suffragium, consilium et tutamentum haberet. Caetera enim parvi imo nihili habentur si Ecclesiae desit approbatio.

Praeter spem sacra Congregatio Episcoporum et Regularium supplicationem eximia benevolentia excepit, atque ex audientia diei primi iulii 1864, Sanctitas Sua, opus, quod quodammodo ipse ceperat, amplissimis verbis laudare atque commendare dignatus est ad instar Congregationis votorum simplicium, dilata tamen ad opportunius tempus Constitutionum approbatione.

Attentis vero peculiaribus circumstantiis regularem existentiam huic Societati concedere optimum visum fuit, et Superiorem praesentem generalem ad vitam, eius autem successorem ad duodecim annos in munere permansurum esse instituit.

Hoc decretum hisce verbis conscriptum fuit:

DECRETUM.

Pauperiorum adolescentulorum miserans conditionem sacerdos Ioannes Bosco e Dioecesi Taurinensi, iam ab anno 1841, aliorum Presbyterorum etiam auxilio fretus, illos in unum colligere, Catholicos fidei rudimento edocere, et temporalibus subsidiis levare instituit. {6 [576]} Hinc ortum habuit pia Societas, quae a sancto Francisco Salesio nomen habens, ex Presbyteris,

Clericis et laicis constat. Socii tria consueta simplicia vota obedientiae, paupertatis et castitatis profitentur; Superioris Generalis, qui Rector Maior nuncupatur, directioni subsunt et praeter propriam sanctificationem, praecipuum hunc habent finem, ut cum temporalibus, tum spiritualibus adolescentium praesertim miserabilium commodis inserviant. Iam inde a piae Congregationis principio, quae ad huiusmodi consilii rationem pertinere arbitrati sunt, adeo studiose diligenterque curarunt, ut maximum ex eorum laboribus Christianae Reipublicae fructum accessisse exploratum omnibus sit; et quamplures Antistites in proprias eos Dioeceses advocaverint, quos tamquam solertes strenuosque Operarios in Vineam Domini excolenda sibi adiutores adsciscerent. Verum, praenominato sacerdote I. Bosco, qui Fundator simulque Superior Generalis piae Societatis est, multum sibi Suisque Sociis deesse visum est, nisi eidem Societati Apostolica accederet confirmatio. Commendatus idcirco a pluribus Antistitibus praefatam confirmationem a SS. Domino Nostro Pio Papa IX humillimis precibus nuperrime postulavit, et Constitutiones approbandas exhibuit. Sanctitas Sua in audientia habita ab infra Domino Pro Secretario Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium sub die prima Iulii 1864, memoratam Societatem, attentis Litteris commendatitiis praedictorum Antistitum, uti Congregationem votorum simplicium, {7 [577]} sub regimine Moderatoris Generalis, salva Ordinariorum iurisdictione ad praescriptum Sacrorum Canonum et Apostolicarum Constitutionum amplissimis verbis laudavit atque commendavit, prout praesentis Decreti tenore laudat atque commendat; dilata ad opportunius tempus Constitutionum approbatione. Insuper Sanctitas Sua attentis peculiaribus circumstantiis indulget, veluti huius Decreti tenore indulget, ut hodiernus Moderator seu Rector Maior in suo munere, quoad vixerit, permaneat; quamvis constitutum sit, ut eiusdem piae Societatis Superior Generalis duodecim tantum annis suum officium exercent.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium hac die 23 Iulii 1864.

A. Card. QUAGLIA *Pref.*

STANISLAUS SVEGLIATI *Prosecretarius.*

Huic decreto tredecim animadversiones adnectebantur, quae libenti animo fuerunt admissae atque in constitutionibus accommodatae prout finis et regulae {8 [578]} Societatis patiuntur. Nonnulla observantur in animadversione super litteras dimissoriales; sed de hoc adest particula separatim exposita.

Nunc complures imo omnes, qui hanc noscunt Societatem, eam commendant, atque in eorum Dioeceses instituere exoptant. Episcopus vero Casalensis velut dioecesanam congregationem adprobavit hoc decreto:

NOS PETRUS MARIA FERRÈ

Dei et Apostolicae Sedis Gratia

ECCLESIAE CASALENSIS EPISCOPUS, ET COMES

Sicuti praecipuum est Episcoporum munus a Vineam Domini totis viribus malas herbas eradicare, ita maxima est eis cura adhibenda ut bonae arbores, quae bonos fructus facere portendant, in eadem Vineam serantur, colantur, atque custodiantur.

Cum autem Divina providentia factum sit ut Societas a Sancto Francisco Salesio dicta tamquam nova plantatio in Nostra hac Dioecesi constitueretur, eam omni prorsus animi favore prosequi Nobis est in Consilium.

Acceptis itaque epistolis supplicatoriis una cum constitutionibus, quas Ioannes Bosco Sacerdos, eiusdem {9 [579]} Societatis Superior Generalis, Nobis obtulit, optimum in Domino factum Nobis est visum hanc eandem Societatem rite adprobare.

Istius enim Societatis constitutiones quindecim capitulis constat; capitula autem in articulis dividuntur. Finis est Sociorum sanctificatio praecipue per exercitium christianae charitatis erga adolescentulos diebus festis derelictos; pauperiores vero quibusdam domibus receptos alere; et si bonum Ecclesiae postulaverit, Iuniorum Seminariorum curam suscipere, quemadmodum in hac Nostra Dioecesi, in pago, cui est nomen *Mirabello*, iam pridem est factum, ubi centum circiter et quinquaginta parvuli ad scientiam ac pietatem informantur, quemadmodum eos decet qui in sortem Domini sunt vocati. Deinde sacris praedicationibus, catechesi, bonorum librorum diffusionem, ut animarum lucrum Socii optineant, operam dabunt.

Attente igitur hisce constitutionibus perlectis, fine, ac forma memoratae Societatis consideratis, peculiari quoque benevolentia permoti erga Domum iam antea in hac Dioecesi constitutam, ut ipsa magis atque magis firmetur, eiusdemque fructus uberiores evadant;

Habita ratione commendationem Antecessoris Nostri, qui eam erigendam curavit, et etiam atque etiam commendavit;

Adhaerentes Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium Decreto, quo hanc Societatem, attentis litteris Commendationis plurimorum Episcoporum, Maximus {10 [580]} Ecclesiae Pontifex amplissimis verbis laudare et Commendare dignatus est uti Congregationem votorum simplicium sub regimine Superioris Generalis;

Hisce demum omnibus attente consideratis ac perpensis, Societatem a Sancto Francisco Salesio dictam commendandam atque adprobendam esse duximus, uti praesenti Decreto commendamus, et tamquam Dioecesanam Congregationem adprobamus secundum constitutiones Nobis relatas.

Insuper cum ex memorato Decreto constet Superiorem Generalem eiusdem Societatis esse rite constitutum, Nos benevolentis animo parati sumus omnes facultates et privilegia eidem concedere, quae necessaria aut opportuna videbuntur, ad maiorem Dei gloriam et ad bonum Societatis promovendum.

Verumtamen cum supralaudata Sacra Episcoporum et Regularium Congregatio absolutam Constitutionum adprobationem ad opportunius tempus distulerit, volumus omnes correctiones ac reformationes, additamenta, quae Sancta Sedes in his constitutionibus inserere iudicaverit, eadem admittantur, in constitutionibus accommodentur et observentur, sicuti et Nos admittimus et observare intendimus.

Dum autem hanc Societatem apud omnes Catholicos Episcopos commendamus, ut opere ac consilio eam firmiorem reddant eique pro viribus faveant, Supremum Ecclesiae Antistitem demissis precibus enixe obsecramus, ut absolutam Apostolicam Constitutionum {11 [581]} adprobationem huic Societati concedere tandem dignetur.

Hanc denique probationem esse tantum Dioecesanam declaramus salva aliorum Episcoporum iurisdictione.

Datum Casali, in Aedibus Nostris Episcopalibus, die 13 ianuarii anni 1868.

✠ **PETRUS MARIA EPISCOPUS.**

Can. BRIATTA, Cariceli. Episc.

Addidit peculiare facultates alio novo decreto ut sequitur.

NOS PETRUS MARIA FERRÈ

Dei et Apostolicae Sedis Gratia

ECCLESIAE CASALENSIS EPISCOPUS, ET COMES

Rev.^{mo} Domino Ioanni Bosco Fundatori ac Generali Superiori Societatis S. Francisci Salesii, cuius Institutum in Oppido huius Dioecesis Casalensis nomine *Mirabello* erectum veluti Seminarium Dioecesanum Decreto Nostro diei 13 ian. mensis ultimo elapsi, declaravimus favere summopere volentes praesentibus litteris ad beneplacitum Nostrum auctoritate Nostra ordinaria: {12 [582]}

1. Facultatem eidem facimus absolventi ab omnibus peccatis et censuris in hac Dioecesi reservatis, non exceptis iis, quae si non exprimantur, non censentur sub generali facultate comprehendi;

2. Concedimus ut ipse vel per se vel per Moderatores Seminarii Loci *Mirabello* queat Confessarios extra Dioecesanos ab eorum Ordinariis adprobatos vocare, ut personis in dicto Seminario degentibus et ab externo quoque ibi advenientibus sacramentum Poenitentiae administrent;

3. Consentimus ut Clerici repetiti Seminarii Philosophiae atque Theologiae operam dantes quotannis ibi sub eorum Institutoribus experimenta ac pericula subeant, neque teneantur Ordini se accommodare Tractationum, qui in Maiori Dioecesis Seminario observatur.

Casali, in Palatio Episcopali, die 4 mensis aprilis 1868.

Can. BRIATTA, Cancell. Episc.

HUIUS SOCIETATIS PRAESENS CONDITIO.

Haec autem est istius Societatis praesens conditio.

Quatuor extant domus communionem habentes et ab unico Superiore dependentes:

1^a Augustae Taurinorum, sub titulo *Oratorio di S. Francesco di Sales*, de quo supra dictum est; {13 [583]}

2^a Apud Lanceum, sub titulo *Collegio di S. Filippo Neri*. Hic iuvenes ducenti et ultra scientia et pietate imbuuntur;

3^a Apud Mirabellum, in Dioecese Casalensi, sub titulo *Piccolo Seminario di S. Carlo*. Hic centum et sexaginta et amplius adolescentuli ad studia et ad curriculum ecclesiasticum deducuntur;

4^a Apud Trofarellum, quo quando spiritualium exercitiorum, quando valetudinis causa convenire adsuevimus.

Huius congregationis socii centum circiter adnumerantur, qui omnes uno ore et opere Societatem Salesianam profitentur, eiusdem regulas observant.

Ad operis complementum nihil aliud deest quam Apostolica rite constitutionum approbatio. Hanc socii singuli humillime, sed toto corde, coram Deo et hominibus exoptant, atque a Supremo Ecclesiae Antistite enixe deprecantur. Hanc Episcopi Provinciae ecclesiasticae Taurinensis, hanc alii complures, qui Societatem noscunt, inter quos Eminentissimi:

Cardinalis PHILIPPUS DE ANGELIS, Archiepiscopus Firmanus, Camerlingus etc. etc.

Cardinalis IOANNES MARIA ANTONUCCI, Archiepiscopus Anconitanus.

Cardinalis COSIMUS CORSI, Archiepiscopus Pisanus. {14 [584]}

Torino 1868 - Tip. dell'Oratorio di s. Francesco di Sales. {16 [586]}